Universitätsbibliothek Paderborn

# De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXXII. Falsitas Et Orationis Vanitas Clericis euitanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

## C A P. LXXII.

### *FALSITAS ET ORATIONIS VAnitas Clericis euitanda.*

§. COgnatum ſimulationi mendacium ſimiliter ex Apoſtolica ſententia vitandum 1. Eph. 4. v. 25. *Deponentes*, inquit, *mendacium loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo ; quoniam ſumus inuicem membra.* Coll. 3. v. 9. *Nolite mentiri inuicem.*

§. 2. Prohibet & Deus Exod. 23. v. 7. *Mendacium fugies.* Leu. 19. v. 11. *Non mẽtiemini, nec decipiet vnuſquiſq; proximum ſuum.* Eccl. 7. v. 13. 14. *Noli arare mendacium aduerſus fratrem tuum, neq; in amicum ſimiliter facias. Noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona,* id eſt, Ne machineris vel moliaris aliquid falſi contra conſanguinitate vel amicitia conjunctos. Imò ab omni prorſus mendacio abſtine, illius ſiquidem conſuetudo valdè noxia & pernitioſa eſt.

*Omne mendacii genus vitandum.*

§. S. Ambr. vt habetur 2. 2. q. 5. c. 20. *Cauete fratres ait mendacium: quia omnes qui amant mendacium, filii ſunt Diaboli. Non ſolum in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt. Mendacium namq; eſt ſe Chriſtianum dicere, & opera Chriſti nõ facere, mendaciũ eſt Epiſcopum Sacerdotem vel clericũ ſe profiteri, & contraria huic ordini operari.* Conſentaneè Apoſtolo Tit. 1. v. 16. loquitur S. Ambroſius. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autẽ negant, cum ſint abominati & incredibiles & ad omne opus bonum reprobi. Ex fructibus arbor cognoſcitur* Math. 7. v. 16. 17. 18.

*Diabolus mendax eſt & pater eius Ioannis 8.*

*Multis modis admittitur mendacium.*

§. S. Auguſt. in Enchir. c. 22. & habetur 2. 2. q. 2. c. 4. *Is autem. Omnis qui mentitur contra id quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtiq; verba propterea ſunt inſtituta, nõ per quæ ſe inuicẽ homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſq; notitiã cogitationes ſuas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciã,*

*Quodcunq; mendacium, peccatum.*

no i

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Quis mentiatur.*

*non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt.* Idem S. Auguſtin. lib. de mendacio cap. 3. *Ille mentitur qui aliud habet in animo & aliud verbis vel quibuslibet ſignificationibus enunciat.*

*Non, quisquis falſum dicit, mentitur.*

*Ex quo fit vt poßit falſum dicere non mentiens, ſi putat ita eſſe vt dicit, quamuis non ita ſit, & vt poßit verum dicere mentiens, ſi putat falſum eſſe, & pro vero enunciat; quamuis re vera ita ſit, vt enunciat: ex animi enim ſui ſententia non ex rerum ipſarum veritate vel falſitate mentiens aut non mentiens iudicatur. Ioci nunquam putanda ſunt mendacia ait* ibidem c. 2. Beatus Auguſtinus. Et quæſt. 145. libr. 1. Geneſ. & habetur 2. 2. q. 2. c. 18. *Quod autem. Mendacia à mendacibus ſeriò aguntur, non ioco. Cum autem quæ non ſunt, tanquam ioco dicuntur, non ſunt mendacia.*

*Tria mendaciorum genera.*

§. Enumerat autem S. Auguſt. lib. de Mend. in epilogo octo mendaciorum genera & habetur 2. 2. q. 2. c. 8. Primum eſt. Quæ Iuris Canonici & Theologiæ Doctores ad tria reuocant. 1. *Pernitioſum*, quod in alterius cedit detrimentum vel proprium & eſt ſemper mortiferum peccatum, niſi excuſet materiæ exiguitas, vel deliberationis. 2. *Officioſum*, quod ad alicuius commodum dicitur. 3. *Ioculatorium*, quod neq; vtilitatem habet, neque damnum, quæ poſtrema venialia & minuta ſunt peccata genere & natura ſua, niſi iuramentum acceſſerit, quod omne mendacium efficit lethiferum, & tamen in quorundam ore non eſt infrequens, qui faciliter falſum affirmant, & juramento confirmant.

*Veniale mendacium iuramento confirmatum eſt lethiferum peccatum.*

*Duo ſunt omnino genera mendaciorum, inquit S. Auguſtin. in Pſalm. 5. in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa, cum aut iocamur, aut, vt proximis proſimus, mentimur.*